



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. VII. De regulari fratrum proposito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

12 GODEFRIDI COMITIS

l. 31.
Mat.

liam, sacrum sumere velamen adhortationibus piis ac salutaribus effecit. Ipse quoque cum esset maior natu cum vnanimi fratris consensu castrum ipsum *Capenberg*, & omnia sua Deo fideliter offerens, in die beatae *Petronillæ* Virginis vltibus ea pauperum CHRISTI delegavit, tria videlicet extruens cœnobîa, hoc est *Capenberg*, *Varlar*, *Eloffstad*, quæ singula prædiis suis copiose locupletans, eadē sub memorati Patris *Noberti* ordinavit prouidentia.

CAP. VII.

De regulari fratrum proposito.

PLacuit itaque Spiritui Sancto, qui in præcone veritatis habitabat, quique per illum loquens in agro dominico fructus mirabiles operari dignatus est, placuit inquam ei, ut in prænotatis cœnobîis fratres regulam beati

beati profiterentur **AUGUSTINI**
 eo quidem tenore, ut regulam ean-
 dem aliquanto districtius, quam ea-
 tenus usitatum fuerat, obseruarent,
 esu scilicet adipis & carniū absti-
 nendo, austeriore quoque habitu,
 pœnitentiæ rigorem exhibēdo. Nam
 & amicus sponsi *Ioannes* non exqui- *Matt. 3*
 sitis, imo naturalibus & syluestribus *& 11.*
 cibis pastus est, & ab ipso Salvatore
 coram turbis ad eremum confluen-
 tibus, de vestitus asperitate laudatus
 est. Et ecce hic ordo noster, diuinâ
 prosequente clementiâ, longe la-
 teque protenditur, & ut vere con-
 fidimus, multo latius in futurum
 protenderetur: Vnde nec ambige-
 re præsumimus; quin sancto dictan-
 te Spiritu, & inchoatus fuerit, &
 diuinæ ordinationis nutu promul- *psal. 7*
 gatus. Nunquid enim non vineam
 istam in brachio excelso ipse Do-
 minus, dux itineris transtulit de A E-
 gypto? Nonne ipse gentes, hoc est,
 prædo-

14 GODEFRIDI COMITIS

prædones & iniquos huius loci ha-
bitatores eiecit à conspectu nostro.
Radices vineæ huius ipse plantaui,
quæ iam vsque ad mare, immo & ul-
tra mare palmites suos, opitulatione
dexteræ cœlestis, extēdit. Vereamur
ibid. ergo id quod sequitur in psalmo, vi-
delicet, ne singularis ferus, hoc est, an-
tiquus noster aduersarius, vineam
hanc dextera Dei plantatam exter-
minet. Quod utique idem exter-
minator, quo pacto, nisi quorundam
cœnobiolorum nostrorum scissurâ &
singularitate magis efficere solet.
Contra orandus est vineæ plantator
atque mundator, uti palmites suos
dignanter excolat; incensa igni &
suffossa ab increpatione sui vultus
perire concedat; vineam tenellam
ac nouellam in abundantia suæ
benedictionis quando-
que perficiat.